


Johann Sithmann Christian Heidebreck von


**Disputatio Octava Iuris Institutionum, De Usucapionibus, Praescriptionibus Et Donationibus, [et]c. Ad Tit. 6. 7. 8. & 9. Lib. II ...**

Stetini: Rhetius, 1651


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757191223>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





26.

DISPUTATIO OCTAVA  
JURIS INSTITUTIONUM  
DE  
USUCAPIONIBUS,  
PRÆSCRIPTIONIBUS  
ET DONATIONIBUS, &c.

*Ad Tit. 6. 7. 8. & 9. Lib. II.*

Quam

JEHOVA CLEMENTER FORTUNANTE  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI

*Clarissimi, Consultissimi & Excellentissimi*

Dn. JOANNIS Sitchmann / D. J. U.  
Profesforis Ordinarii, Præceptoris  
& Fautoris ætatem honorandi.

*Studiosæ LL. juventutis examini submittit, & pro  
virium modulo defendendam suscipit*

CHRISTIANUS ab Heidebreck/  
Nobilis Pomeranus.

Anno Salutis instauratæ per Christum cIo Ioc LI.

Ad diem XXVII. Maji,


In Acroaterio Majori, horis ab VIII. matutinis.

STETINI,

Typis JOHANNIS VALENTINI RHETI,  
Regii per Pomeraniam Typographi.

*Admodum Reverendis, Generosis, Magnificis, Nobilissimis, Strenuis, Clarissimis, Consultissimis, Amplissimis, Prudentissimis*

**Dn. PRÆLATIS, EQVESTREBUS, & CIVITATIBUS, Reverendissimi Capituli Camminensis, Mecænatibus & Patronis meis æviternò honoris & observantiæ cultu devenerandis.**



*Opulus per totum terrarum orbem laudatissimus, & à quo universa nostra Respubl. originem, majestatem & præeminentiam ducit, Romanus omnes vires intendit ad præscribendas atq; constituendas sibi met ipsis leges, ac jus quoddam, secundum quod administravit præclare suam Rempubl. eamq; talem, quæ quoad Sacra, Sacerdotes, & Magistratum, ipsiq; Regiminis statum toti mundo fuit admirabilis, cujus tamen præcæm genuinam indolem, ac faciem, post tot seculorum vicissitudines jam amplius in toto orbe condito intueri vix licet. Sede enim Imperatoriâ fatò infelici Byzantium translata, Majestas Romæ antiquæ sensim exilesceere visa est, maxime cum à Carolo Magno imperium ad Germanos transferretur, novus fere Orbis imperi creatus apparuit. Interea jura Justinianea extremò oblivionis baratrò erant sepulta, donec sub Litorio Saxone Imp. Germano reviviscerent, & sub incudè frasu Icti & Consiliarii Irnerii revocarentur. Constituerat Justinianus, laudatissima & æternæ memoriæ Imperator multis retro seculis Jus Civile ex Ictorum antiquorum responsis & Imperatorum anteriorum suisq; rescriptis, quod est illud ipsum,*  
quo

quo Dei gratia adhuc in scholis & foro utimur &  
postquam suo tempore ante mille annos in confusione fue-  
rat. Hoc dum faceret, prudentissimè ratus est, nullum  
imperium sive regnum stabile esse sine legibus, imperium  
namq; non solum armis decoratum, sed etiam legibus arma-  
tum esse oportere, summis vigiliis, summâq; providentiâ  
post Deum T. O. Max. Triboniano Clarissimo viro usus,  
cujus felici novatâ operâ jus Romanum in luculentam ere-  
ctum est consonantiâ. Hujus juris, seu sapientiæ civilis cul-  
tor ego infimus, cogitavi non ita pridem, quam ex amplis-  
simo hujus oceano desumerem materiam, quâ ingenium  
exercerem, huic tandem cessit calculus. Quantum vero  
Vobis Ordines patriæ inclyti, per ævitatem omnem hono-  
ratisimi, debeam, satis intelligo, atq; ad bonam de me exi-  
stimationem vehementer pertinere, si aliter non possem,  
ergâ patronorum insignem & excellentem favorem, inq;  
Parentem meum ingentem Vestrum affectum, modicam,  
vel leviculam, magni studii significationem ederem, cona-  
tum aggressus sum disputatione hac publicâ ingenii mei præ-  
miiis & victimâ, quam admodum Reverend. Dignitat.  
Generositat. Magnificent. Nobilitat. Claritat. Amplitud.  
Vestris humillimâ mente officiosissime ac devotissime dedi-  
catâ ac consecratam Aræ eminentissimi Vestri favoris of-  
fero, impono, litô. Valete, Favete Ordines incliti, & me cli-  
entem Vestrum clementi ac benignâ fronte suscipite, qui est,  
& ut vivet, erit Vest.

Admodum Reverend. Generositat. Magnificent.  
Nobilitat. Claritat. Amplitudin.

Humillimus  
Officiosissimus

CHRISTIANUS Heidebrecht,  
Nob. Pom. Respondens.



**P**erplexi juris modus est, qui rem capit usu,  
Num naturali consonus ille fiet?  
Aimus. Haud ullum, quod publica, privataque tractant  
Jura, illi adverso tramite inire licet.  
Si datur, haud jus est, injuria, sæva Tyrannis  
Nunquam inter cives pertoleranda loco.  
Percipis hoc HEIDBRECH, dum publica pulpita scandis,  
Atque hæc exultò jura doces animò.  
Perge ita, nec dubita, quin sis aliquando futurus  
Et Patris & Patriæ lausque decusque tuæ.

*Nobilissimo, & præstantis indolis egregio juveni  
Respondenti faventer J.*

JOANNES Githmann J. U. D. Præses.

**S**urgito Calliope, remorantem terge soporem  
Luminibus, docto tua tangito pollice chordas  
Terpsichore, & plaudant omnes sub monte Camœnæ;  
Surgito, te poscit chorus, & redimito corollâ  
Heidbrechî frontem, sibi quem Thymbræus Apollo  
Delexit, Charitumque cohors super alta revectant  
Culmina Parnassi, & Themidos sacraria anhelant.  
Adspice, ut ingenio viridantia pectora motu  
In morem cœli ducantur nixa labore,  
Et fugat niveo candor de flumine lympham,  
Quâ sacra simplicitas alitur, pietasque rigatur.  
Ecce, quid æthereo jam tentat percitus ostro,  
Dum nova bella subit, vexillo nomina scribens  
Castalidum, & divâ instructus jam militat aurâ!  
Qui tibi condignos ego reddam carmine plausus,  
Frater? at ingenuum pectus cum pauca loquatur,  
Sufficiant tria verba tibi: Sic pergit felix!

*Suo contubernali dilectissimo applaudere voluit*

ERNESTUS à PUTKAMER,  
Nob. Pomer.



DISPUTATIO OCTAVA  
De  
USUCAPIONIBUS, PRÆSCRIPTIONIBUS,  
ET DONATIONIBUS.

Ad Lib. II. Tit. 6. 7. 8. & 9.

Respondente

CHRISTIANO HEIDEBRECKEN,  
NOBIL. POMERAN.

I.



Git hætenus Tribonianus de  
rerum *corporalium* & *incorporalium* divi-  
sione & acquisitione, jure Gentium. Di-  
co *incorporalium*, non tamen *omnium*,  
sed *servitutum tantum*, quæ acquiruntur  
*utroq;* & gentium & civili jure, reliquæ  
*incorporales civili tantum vel pratorio*,  
de quibus suo loco, quod non attendens  
Ægid. Hortens. frustra *servitutibus* alias  
res *incorporales*, hereditates & posses-

siones, subjici desiderat, quasi rerum *incorporalium* omnium non di-  
versa, sed una esset acquirendi ratio, ad *h. tit. p. 128.*

2. Recto ergo ordine succenturiantur modi acquirendi civiles,  
qui in duas secantur classes: *unam*, modorum *singularium*; *alteram*,  
*universalium*. *Illorum* hodiè supersunt quatuor: *Usucapio*, *Donatio*, *Le-*  
*gatum*, *Fideicommissum*, Jure accrescendi post Justiniani tempora  
diu exauctoratò, ipso etiam vivente *mancipatio*, in *jure cessio* ac alii  
similes inoleverunt, quibus Romani acquirere voluerunt rerum domi-  
nium, non *Bonitarium*, sed *Quiritarium*, quod ex jure *Quiritium*, non  
naturali, aut gentium *secundario* traheret formalitatem. *Horum*  
ponimus duos, *Hereditatem* & *bonorum possessionem*: *Arrogationem*  
namq; *addictionem* & alios, qui Justiniani tempore erant recepti,  
abs usu sequentium & modernorum temporum recessere.

3. Inscrubitur titulus in vulgatis exemplaribus de *Usucapionibus* &  
*longi temporis præscriptionibus*. Alii, ut Hotomannus, Pacius, Contius,  
Wesem-

Wesembecius, Cujacius, quibus se etiam associat Broëus, legunt *possessionibus*: quod ut ita teneam, mihi non persuadeo, siue enim reputamus ex antiquitate *res mancipi & nec mancipi*, res vel fundos Italicos, vel provinciales, siue nec usucapio, nec prescriptio sine possessione procedat, neue unquam processerit: Attamen ipsa usucapio non est possessio, neque prescriptio est possessio, sed utrumque tam usucapionis quam prescriptionis est, & manet causa. Imò & nonnunquam sola possessio est inutilis ad acquirendum dominium, ut si quis ex primo decreto mittatur in possessionem. Quomodo intelligenda est *l. si finita 25. § si de vectigali ff. de damn. infect.* Differt ergo usucapio & prescriptio a possessione, tanquam *causa* ab *effectu* seu *causato*, vel ut *res à suo modo*, non enim ipsa possessio est acquirendi modus, sed usucapio, imò & prescriptio est modus acquirendi per exceptionem longi temporis rei possessa, quanquam usucapio & prescriptio insinuarint inter se quandam discrepantiam.

4. *Breviter*: Usucapiendi modus erat, cum res à vero suo domino alienaretur, sed non legitime, h. e. non solenni Quiritium jure, vel alienaretur à non domino, bonâ tamen fide ex justo titulo seu causa. De illo jam dicere non attinet, siquidem ipse Justinianus suo tempore eum non observabat. *Hic* autem varietatem implicat, quatenus ad prescriptionem format respectum. Usucapio namque, quâ talis, originem ex L. XII. Tab. trahens, in solo observabatur fundo Italico, & tempore determinabatur anni vel biennii, quò peractò plenum adiciebatur dominium, quoniam justò innitebatur titulo ac causâ ad acquirendum dominium habili ac aptâ. Contra prescriptio ob possessionem longi temporis ex constitutionibus principum proveniens, observabatur in provinciis, & terminabatur annis decem, aut viginti, non autem acquirere, aut adicere plenum poterat dominium, quod titulo careret, erat namque loco ejus duntaxat possessio, & propterea non actionem directam vel vindicationis, sed jus exceptionis, vel utilis actionis, quemadmodum & longissimum tempus 30. vel 40. annorum ex principum constitutionibus descendens titulum nullum expostulat.

3. Adeo usucapio rerum erat mobilium & immobilium Italicarum; prescriptio immobilium provincialium: quæ differentia locorum à Justiniano est antiquata in *l. in C. de usucap. transform.* eademque acquir-

acquirendi vis præscriptioni ac usucapioni collata, ut *hodie* plenum rei dominium non minus præscriptione longi, vel longissimi temporis, quam usucapione acquirere liceat, adeoq; antiquata est præscriptio, solum ejus nomen permansit. Non obstant ergo leges omnes ff. & C. quæ ante legem Justiniani un. C. de usucap. transform. latae sunt, & jus antiquum sapiunt, sunt enim à d. l. un. quæ una est ex 50. decisionibus A. 531. post Cos. Lampadii & Orestis ad Joannem præfectum prætorio emissa, abrogata. Perperam excipit Brozus § ex his itaq; 5. inffit. per quas person. cuiq; acquir. quod in illo post d. l. un. usucapionem & præscriptionem, ut distinctas species separaverit, quod ego ex textu non haurior. Et quamvis (quod addo) d. § 5. post d. l. un. C. lata esset, taxandus tamen esset Tribonianus, quare harum decisionum rationem semper non habuerit in compositione Pandectarum & institutionum, erant enim multæ harum eò tempore emissæ.

6. Nec obstat; Usucapionem, quæ juris civilis est, non posse dominium, quod est juris gentium, infringere aut tollere, arg. §. sed naturalia et. Instit. de J. N. G. & C. Resp. Naturale jus non potest mutari in totum, neq; in thesi, sed in antithesi bene recipit mutationem in variis generum causis, ediferente Ulpiano, quando juri naturali aliquid addimus, vel detrahimus, jus civile efficitur l. 6 ff. de J. & J. ita ob publicam utilitatem, ne rerum dominia sint in incerto, usucapio est introducta, jus publicum autem æquè ac privatum ex naturalis, gentium & civilis juris constat principis.

7. Nec ulterius obstat. l. item si res 4. ff. de alienat. Jud. mut. caus. Resp. Aliud est amittere, & aliud omittere possessionem. Qui rem suam usucapi patitur, eam alienare videtur, & sic planè ejus dominium directum amittit, quia eam antea in possessione habuit: qui vero rei nunquam habuit possessionem, eam si impetrare possit, & tamen omittere, alienare non videtur, quod innuit Ulpianus in d. l. 4.

8. Nec obstat l. pro donato 2. § si pater 1 ff. pro donat. Nescio quid ad hoc respondeat Hunnius *variar. resolut. lib. 2 tract. 3. Quest 15.* & cum eo Gilken. Resp. Per usum intelligendus usufructus causalis. Sed quod adhuc rectius, ipsum dominium & proprietatem, quam dicit Paulus per usucapionem ex donatione inter patrem & filium non acquiri, quod ulterius exemplificat in § 2. Moverant hanc quæstionem; Num per præscriptionem utile an directum acquiratur dominium?

Martianus antiquus glosator, eumq; secutus Accursius, Bartholus & alii. Quæ utut olim valuerit, *hodie* acquisitio dominii utilis est de lana caprina.

9. *Usucapio est adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Modestinus in *l. 3 ff. h. t.* Ulpianus in *fragmentis* definit per *adeptionem*, Cujacius per *acquisitionem*, qui penitus nervum tangunt; magis namq; dominium adipiscimur, vel acquirimus, quam adjicimus per usucapionem, & eatenus fragmenta hæc non sunt legi Modestini, in corpus juris redactæ, contraria, sed naturam rei prescius expriment, quod facile admittendum. Quicquid sit, perinde est, quo utamur nomine, utrumq; satis aptum. Modestinus vult adjectionem possessionis intuitu, cui tempore per usucapionem definitio & expletio dominium adjicitur: Ulpianus mavult adeptionem, & Cujacius acquisitionem ratione solius dominii, quod directo per usucapionem de novo adipiscimur, aut acquirimus. Sunt ergo hi in sano sensu omnes æquipollentes, nec satis causæ habet Ægid. Hortens. *b. tit.* quod definitionem hanc dicit interpolatam, decurtatam, nec bonam, quæ non definit tempus usucapionis, sed ad legem remittit, quasi omnia & singula usucapionis & præscriptionis tempora, quæ multifaria sunt, in definitionis cancellis comprehendere fas & opus sit.

10. Si cui non displicet, hæc esto usucapionis definitio, aut, si malis, descriptio: *Usucapio est modus, quo res præscriptibilis, à non domino bonâ fide tamen tradita, ex justo titulo ab accipiente bonâ fide continuata possessione, temporis lege definiti civiliter acquiritur.* Ut ergo usucapio constituatur, requiritur I. *Non dominus*: Ipse namq; dominus rem suam volens alienare, statim per traditionem rei suæ transfert dominium, unde non remanere potest usucapiendi occasio. Non dominus est *v. c. heres defuncti*, qui rem alienam in hereditate repertam bonâ fide putat esse hereditariam, quæ tamen est pignus, depositum aut commodatum, &c.

ii. *Il. Requiritur res præscriptibilis*, h. e. quæ in hominum civili est commercio. Excluduntur ergo res commercio hominum exemptæ & vitiosæ, h. e. res mobiles *furtivæ*, vel immobiles *vi possessæ*: Ideo non tantum ipse fur non potest usucapere, sed nec quilibet alius, qui ab eo habet causam. Hinc semper difficilior est rei mobilis usucapio. Quæ enim rem alienam secum habet, statim intelligit, non esse suam

fua; si alteri tradit, illico furtum committit; ideoq; res hæc, ut vitiosa, usucapi non potest.

12. *Casus esto talis. Sempronius commodavit Titio eorum, aut locavit ei servum, aut deposuit apud eum poculum aureum. Titio vitâ fructû heres ejus, vel quod studiorum vel militia causa absuerit, facti hujus ignarus, res has in hereditate inventas, putans hereditarias esse, Cajo rei & cause hujus itidem penitus ignaro vendidit, nil dubii est, quin Cajus legitimo tempore res has usucapiat, aut præscribat, quia est bonæ fidei possessor, nec heres Titii potest dici commisisse furtum, adeoq; rem venditam esse vitiosam, quia bonâ fide eam possidet.*

13. *Item, concessi Titio ancilla usumfructum, ut ejus ministerio & operâ manuum utatur. Evixa est apud Titium: Hic putans, partum pertinere ad fructum, eum vendidit vel donavit b. fide accipienti, qui partum legitimi temporis lapsu præscripsit. Et merito. Accepit enim eam à Titio b. fide & per legitimum tempus possedit, nec Titius potest dici commisisse furtum, quia à b. fidei venditore vel ex alio justo titulo accepit. Nec obstat, Titium commisisse errorem juris, quia partus hominis non est in fructu. Resp. Errorem juris non impedire usucapionem, nec inducere malæ fidei possessorem penes tradentem, sed modo attendendum, ne furtum committatur in re mobili, quod hoc loco non est commissum, quia Titius non malô animo furtum faciendi partum vendidit.*

14. *Ita procedit usucapio in mobilibus, sed quomodo in immobilibus? Quidam præsens vel absens supinâ negligentia domus vel fundi sui nullam habuit curam, visusq; eam ferè habere pro derelicto, vel decessit nullò relicto successore: Ego domum illam vacuum sine vi, forsitan à vicinis de furibus sibi metuentibus, intravi, non possum ego domum vel fundum illum usucapere, aut ullò tempore præscribere, quia satis intelligo, illum esse alienum, meq; esse in mala fide. Verùm si alii b. fide accipienti vendam, vel aliter ex justa causa tradam, ille legitime potest illum usucapere, quia b. fide possidet, & res ipsa non est in vitio, nec vi possidetur.*

15. *Nec obstat, primum venditorem fuisse in mala fide, & furtum commisisse rei alienæ, quod in simili patet in mobilibus. Resp. Obtinuit, rerum immobilium furtum non esse, & in harum præscriptione tantum considerari, an emptor vel alius ex justa causa accipiens sit in*

*b. fide, & vi non invasit possessionem.* Quæ duo si sint penes accipien-  
tem, procedit rei immobilis usucapio aut præscriptio: si enim dejiciam  
alium de possessione domus aut fundi sui, non iple possum usucapere,  
nec ullus alius, qui à me domum vel fundum accepit. Secus est, si ali-  
cujus rei possessionem sine vi nactus sim, licet ipse rei alienæ malam fi-  
dem habeam. In rebus autem mobilibus præscribendis, primus ven-  
ditor, aut tradens malâ fide carere debet, & tunc ille, qui ab eo rem ex  
justo titulo accepit, eam usucapere demum potest, alias habetur res  
vendita vel tradita pro furtiva aut vitiosa, quæ non est præscriptibilis.

16. Aliud est, si res furtivæ, & vi possessæ, in medio usucapiendi  
tempore ad ipsum dominum reversæ sint, quo ipso res furtivæ esse desi-  
nunt, & nihil obstat, quo minus usucapiantur, § 3. 4. 5. b. t. Si quæ  
vero Dominus rem furtivam ad se reversam alii vendat, vel donet, non  
currit præscriptio, sed ipso jure transferetur dominium. In simili verius  
existimo, factum pecudum furtivarum ipso jure sine usucapione transi-  
re ad bonæ fidei possessorem, nec eum usucapione indigere, quia fec-  
tus pecudum est in fructu, quod ipso jure debetur b. fidei possessori,  
quando ab eo perceptus est § Si quis à non doming. Inst. de R. D.  
l. 45. ff. de usur. & fruct. nec officit, pecus sit furtivum, modò factus  
apud bonæ fidei possessorem sit conceptus & editus. Aliud est in par-  
tu ancilla furtivæ, quem possessor bonæ fidei suam non fecit, nisi eam  
usucapiat, quia homo non est in fructu § pecudum 38. in fin. inst. de R. D.

17. Præter res furtivas & vi possessas præscriptionem vel usucapi-  
onem regulariter excluduntur res sacre, religiose & sanctæ, quatenus sunt  
inalienabiles, quæ namq; res prohibitæ sunt alienari, eæ etiam prohi-  
bitæ sunt usucapi l. 9. ub. Alciat. ff. de V. S. l. ut inter. 23. de SS. Eccles.  
Tot. Tit. C. Ne rei domin. vel templ. vind. temp. præscript. de quo infra  
pluribus. Res sacre autem, quatenus tales sunt, regulariter inaliena-  
biles, nisi in casu excepto l sancimus 21. Auth. præterea. Auth. Hoc jus  
pervenit. C. de SS. Eccles. Vel res sacre direptione hostili profanentur;  
l. cum loca ff. de religiof. & sumpt. fun. Vel Ecclesia contra Ecclesiam  
præscribat, quæ præscriptio probatur in Auth. Quas actiones C. d. tit.  
quæ Ecclesia nihil perdit, vel si quod damnum sentiret, conveniendus  
esset Oeconomus Ecclesiæ, quod passus sit res Ecclesiæ præscribi, ut  
damnum ei resarciat. Alioquin Laicus mille annis Ecclesiæ res non  
præscribit c. causam extr. de præscript. Sed ante & res Fisci prohibite &  
bonæ

bona vacantia? Resp. Proletarium, nunciata non præscribi. Antequam ergò à Quadruplicatoribus l. 1. § divus. & l. 44. ff. de Jure Fisci. Paulus lib. 5. sentent. tit. 13. Fisco indicantur seu nunciantur, à b. fidei poslesfore rectè usucapiuntur. Bona quippe vacantia, antequam fisco sunt nunciata, in patrimonium Principis seu Fisci non sunt versa, ac proinde Fiscales dici nequeunt: quare nihil subest causæ, cur quadriennii meta non præscribantur, quam rerum fiscalium præscriptionem referunt l. 2. & 3. C. de quadrienn. præscript.

18. Circa hanc rem tria refert § Res fisci 4. Imperatorum edicta seu constitutiones. 1. Divi Marci, à quo constitutum, ut, qui rem alienam bonà fide à fisco emerit, elapsò quinquenniò dominus ejus fieret, atq; ita post quinquennium conventus emptor præscriptione repellebat actorem. 2. Zenonis constitutio in l. 2. C. de quadrienn. præscript. Cui 3. accessit Justiniani constitutio in l. ult. C. de quadrienn. præscript. quâ voluit Imperator, ut etiam ex alienationes fiscales, quas ipse Imperator & Augusta fecerit, sub Zenoniana constitutione continerentur, quæ est talis, ut, si quis à Fisco b. fide rem alienam justo titulo accepit, statim eum esse securum, & dominum rei acceptæ fieri, sive actor sit, sive reus. Rei vero domino patere actionem contra Fiscoem intra quadriennium, non tantum in proprietate, sed etiam pignore seu hypotheca, ideoq; neq; dominum rei actionem in rem, neq; creditorem Servianam de rebus à Fisco alienatis, post quadriennium elapsum, salvas habere posse.

19. Sed quod emptor hâc constitutione Zenonianâ non semper sit tutus, quia à Fisco emit. obstat l. 13. § 9. de petit. hered. Resp. Excipiendi sunt casus certi: 1. Si hereditatem emit l. 1. C. de hered. vel act. vend. 2. In casu l. 5. de libenl. caus. Respondet Donellus §. Comment. 3. 5. dari in emptorem utilem in subsidium actionem. Non imperitè autem dicendum videtur per verba: ut ipse quidem b. § 9 corrigi d. l. 13. § 9. de petit. hered. quod & fatetur Cujacius in paratit. C. de quadrienn. præscript.

20. Sed quid asserendum de bonis pupillaribus? De immobilibus indubium est, ea non præscribi: Idemne juris in mobilibus? Dicerem ita viciò nondum purgato, si à tutore sit surrepta, si autem redierint ad pupillum, usucapionem esse concedendam, quem casum ponderat Cujacius in l. 4. § 19. de usurpat. & usucap. & l. 7. § 3. ff. pro Empt. cate.



quatenus prescriptionem admittit mobilium. Addo casus in § 12. & 13. in hærede b. fide rem pupilli vendente, quod tamen non perinde existimo, si ipse hæres pupillus sine autoritate tutoris rem propriam venderet l. 48. in pr. ff. d. A. R. D. l. ult. C. de usucap. per empt.

21. Anne & libertas præscriptibilis? Casus pro affirmativa habetur in l. 11. C. de præscript long. temp. ubi notat. Glosf. Bald. & Salicet. Verùm dubito, an hoc ita sit de observantia. Homo namq; proprius quantumvis bonâ fide à fundo domini abfuerit per 20 vel 30. annos, eò ipso se in libertatem non vindicat, nisi factæ manumissionis possit producere documentum, einen Erlassungs Zettel/ vel testes. Occasionaliter hic quæro: Si mulier propria extra legitimum matrimonium in vel extrafundum Domini sui conceperit, & in fundo aliene jurisdictionis partum enixa sit, an partus pertineat ad dominum fundi, in quo est editus, vel ad Dominum mulieris, vel ad Magistratum proximè superiorem Dominò dicti fundi planè exclusò, Magistratui etiam superiori non tribuendus partus, sed domino mulieris: partus namq; quâ statum sequitur ventrem. Nec adstipulandum vulgo dicterio, Huren Kinder gehören der Hohen Obrigkeit zu / quando de matre ejusq; subjectione constat, tunc enim subjectionem ejus necessariò sequitur partus. Et frustranea alioquin ejus esset præscriptio, quia homo liber non usu capitur l. usucapionem 9. ff. de usucap. § sed aliquando inst. eod. homines verò proprii hodiè quâ statum sunt liberi, licet quâ officia servitutem redolent.

22. Res præscriptibiles procul dubio oportet esse corporales, quia possideri, tangi & tradi possunt, l. usucapionem 9. ff. De usucap. l. 4. § ult. ff. eod. Excluduntur è ergò res incorporales? Quicquid sit in aliis fere, in servitutibus non dixerim, sed præscribi eas omnino puto per l. si quis diuturnum ff. si servit. vend. l. 5. § penult. de itin. actuz privat. l. forumen 28. ff. de servit. præd. urban. l. ult. C. de long. temp. præscript. & quidem non improprie, sed verè, quatenus in suo genere præscriptionem admittunt, quæ per se vera est & plena. Nihil officit, quod circa servitutum præscriptiones non directæ sed utilis competat actio, nihil enim importat improprietatis, sed duntaxat denotat originationem actionis, quæ ex jure descendit prætorio, unde non directæ, sed utiles derivantur actiones, quæ quâ efficaciam præ aliis nihil insinuant detrimenti. Non placet, quod quidam hic pro rebus corporalibus & incorporalibus ponant lingu-

singulas & universales, quasi illæ non essent singulæ aut universales.  
Sed advertendum, aliud esse universale *facti*, aliud *juris*. Ita dicitur  
grex universalis, & domus, quia multa continet utensilia, & heredi-  
tas dicitur jus universale, quomodo interpretanda est *l. in rem Sult. ff.*  
*de R. V. & l. 1. tot. tit. ff. pro hered. l. 1. in pr. ff. de R. V.*

23. Inter has res, quæ præscriptionem nauscant, referendæ *superfici-  
es & domus in littore ædificatæ*, si destruantur, non enim potest eas  
ædificator præscribere, sed locus iterum fit communis *l. 44. ff. b. tit.*  
cum qua lege concilianda est *l. 7. ff. de divers. temp. præscript.* ita, qui  
continuò piscatus est, potest alteri piscationem prohibere, non vero  
ille, cui piscatio interrupta est. Tum & ad harum classem sunt refe-  
rendæ *res mere facultatis*, quæ ullius præscriptionis nesciæ, quibus non  
connumeramus pactum de *non retrovendo & reversionis*, quas à re-  
rum mere facultatis classe penitus excludimus, & juri præscriptionis  
adjicimus, contradicentium opinione salvere jura. Genuinum,  
ut dare lubet, exemplum est electio Imperatoris, quæ licet ab Alber-  
ti Austriaci temporibus per CCXII. annos continuâ serie facta sit e  
domo Austriaca, per hoc tamen minime domus hæc allegare jus  
potest ex præscriptione sibi quæsitum, quia electio non tantum est res  
mere facultatis, sed & LL. fundamentalibus provisum, ne domus Au-  
striaca sibi imperium faciat hereditarium, Goldastus in *Reichs Sagun-  
gen/ in capitulat. Car. V. part. 2. fol. (mihi) 184. artic. 28* Ibi: *Und  
insonderheit sollen und wollen wir uns auch keiner Succession oder Erb-  
schafft des offterwehnten Römischen Reichs anmassen/ unterwinden/  
noch in solcher gestalt unterziehen/ oder darnach trachten/ uff uns selbst/  
unser Erben und Nachkommen zu wenden/ sondern &c. die gemeldten  
Churfürsten/ ihre Nachkommen und Erben zu jeglicher Zeit bey ihrer  
freyen Wahl/ wie von Alters hero uff sie gekommen/ &c. geruhiglich  
bleiben und ganz ungefräncket lassen &c. quod iudem reperitur in ca-  
pitulat. Maximil. II. art. 14. verl. Insonderheit apud Goldast. d. pag. 2.  
fol. (mihi) 286.*

24. Præterea ut solidetur Usucapio, non satis est tradi à non domi-  
no rem præscriptibilem, sed & *cumulative* necessum est, ut tradatur &  
accipiatur *bona fide* & *ex justo titulo*, & simul *continuò possideatur* tem-  
pore lege definitò. *Trentis* bona fide vidimus facti species in thesi  
*12 13. 14.* quæ accipientem ratio alia est juris *civilis* & alia juris *canonicæ*  
& c.

& secundum hæc successoris *universalis* vel *singularis*. Sufficit, univ<sup>er</sup>salem ab initio bonam habere fidem, licet postea incipiat habere conscientiam alienæ rei l. 48. in fin. ff. de A. R. D. quicquid refragetur Donellus. Opus tamen est, ut antecessor bonâ fide usucapionem inchoarit, & sic succedit heres in virtutes & vitia defuncti, ejusq; jure utitur, eaq; continuatur, circa quæ benè interpretanda est l. vitia C. de acquir. posses. & hac ratione non habetur respectus ad heredem, sed defunctum, usucapionis primum & legitimum authorem, quod secus est de jure canonico, secundum quod continuò bona fides requiritur in successore five accipiente, alioquin usucapio & præscriptio est nulla c. ult. de præscript. quod in concilio Lateranensi sub Innocentio III. ita constitutum, & frequentius in foro nostro sequimur: Successorem autem singularem ex contractu bona fides venditoris vel donatoris non juvat, nisi ipse sit in bona fide tempore contractus l. 48. ff. de usu. cap. & l. 2. § 2. pro Empto.

25. v. c. Ego rem alienam immobilem à non domino bonâ fide emi, & per octennium inter præsentem possedi, eandem rem alteri vendidi bonâ fide accipienti, qui eam possidet per annos duos: Hæc tempora, mea & ejus, qui fundum à me emi, possessionis, sunt conjungenda ad constituendum legitimum tempus definitum. Lex autem vult rem immobilem inter præsentem decenniò usucapi aut præscribi. Sed advertendum, bonam fidem hoc loco tam in venditore, quam emptore respici, non enim novus emptor induit jura vel personam venditoris, sed decet utrumq; possessorem suam à bona fide inchoare.

26. Hac continuatio possessionis & temporis definiti locum habet in præscriptione rerum *corporalium*, *mobiliùm* & *immobiliùm*, mobiles enim bienniò, immobiles inter præsentem decenniò, inter absentes vicenniò præscribuntur, verum paulo aliter se hoc habet in præscriptione *incorporalium*, & *actionum*: servitutes namq; & *actiones civiles* præscribuntur regulariter 30 annis; quæ ad ecclesiâ pertinent, 40 annis; Regalia immemoriali tempore l. 3. 4. 6. 7. 8. & ult. C. de præscript. 30. annor. Actiones criminales 20. annorum spacio l. quærela 12. C. ad L. Jul. de Adulter. Res mere facultatis non præscribuntur, nisi interveniente prohibitione vel resistentiâ præscribentis, cum patientia ejus, contra quem præscribitur, per tempus ad præscribendum sufficiens. Borchold. de feud. cap. 21. p. 13. Peculiaria exempla tradit Cujacius in  
1m346

statu de divers. temp. prescript. & egregie explicat, quomodo in praescriptionibus sit attendendum Momentum cap. 1. Hora Cap. 2. Dies Cap. 3. Biduum cap. 4. tres vel quinq; dies cap. 5. septem vel novem dies Cap. 6. Decem dies Cap. 7. Quindecim dies Cap. 8. Viginti dies Cap. 9. Triginta dies Cap. 10. Quadraginta dies Cap. 11. Tres menses Cap. 14. Centum dies Cap. 15. Menses quatuor Cap. 16. Menses quinq; Cap. 17. Menses sex Cap. 18. Septem 8. 9. & 11. menses Cap. 19. Annus Cap. 20. Biennium Cap. 21. Triennium Cap. 22. Quadriennium Cap. 23. Quinquennium Cap. 24. Septennium, octennium Cap. 25. Decennium Cap. 26. Anni 12. 14. 15. 16. 17. & 18. Cap. 27. Anni 20. 25. 30. 40. 50. 60. 70. 100. & tempus infinitum Cap. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35.

27. Adeoq; causa seu titulus ad transferendum rerum dominium debet esse habilis & aptus, sive sit onerosus, sive lucrativus, ad quem minime refertur *commodatum, depositum, pignus, locatum, precarium, &c.* sed *emptio, venditio, donatio, legatum, dotis datio, pro herede cum similibus.* Sed an hic est habilis in suo herede? Neg. Verius est, heredem extraneum pro herede possidentem usucapere, cujus contrarium l. 4 ff. pro hered. & l. si ancillam 4. ff. pro suo l. qui legatorum 2. Si. vers. filium quoq; ff. pro hered. non evincunt. Nec ad rem est, quoad heredem extraneum, discrepantiam necesse inter usucapionem & praescriptionem, quasi in illa omnino, in hac si esset 30. annorum, neq; bona fides neq; titulus desideretur, quod, quicumq; tandem hoc ita sentiunt, certe intelligendum est de jure antiquo, quod per l. un. C. de usucap. transform. antiquatum est, de quo vid. *thes. 4 5.* Ideoq; nihil implicat, quo minus ea, quae dicuntur de praescriptione, quin & dici debeant de usucapione, ut, si tanta, vel, quod magis est, immemorialis temporis praescriptio, quae instar privilegii est, bonam fidem & titulum excludat, eadem & excludat tanti temporis usucapionem.

28. Titulo ergo requisito & dato excluditur error, error namq; falsae causa usucapionem non parit, error sit sive *juris* sive *facti*; facti sc. *proprii*, qui est intolerabilis: facti namq; alieni error, ut, si servus rem, qua non tradidit, putat dominus eam emisse, *tolerabilis* est, vel usucapioni non officit l. 27. & 28. ff. de usucap. Putat Cujacius, praescriptionem impediri, quando ex falsa causa facta, nec res tradita est, vel accepta ex falsa causa, & error non est probabilis. Cui an obstat l. pro.

D. tit. l. 3. 4. 5. ff. pro suo l. 2. & l. quod vulgo ff. pro empto. manifestabile  
discursus.

29. Ad bonæ fidei possessorem non referimus illum, qui de jure  
suo dubitat, neq; ad malæ fidei possessorem, quia cum neutro adæqua-  
te convenit, sed magis ab utroq; videatur participare, ideo minus est,  
ut possit præscribere, eo quod non credat certo, tradentem esse verum  
rei Dominum, & propterea non potest habere justum usucapionis ini-  
tium. Secus est de errante in jure suo, qui num bonæ fidei possessori ac-  
censendus sit, minus dubito, non tamen ad usucapiendum capax est  
l. 4. 79. ff. de Jur. & fact. ignor. verum dare potest occasionem usuca-  
piendi illi, qui bona fide ab errante in jure rem accipit, & continuatio-  
ne temporis legitimi possidet. Casus exemplificatur in thes. 13.

30. Emeni jam videmur usucapionis & præscriptionis materiam,  
verum Epiphonemate non excluso, multis hæc videntur odiosa, quasi  
contra naturalis juris rationem introducta, jure civili tamen permisa.  
Illud aserit Hunnius *variar. Resolut. lib. 2. q. 2. tract. 3.* qui ut ali-  
cui juri hanc tradat, publico dat acceptum, juri naturali vero esse inimi-  
cæm, nullus dubitat. Idem noviter Jctus & profesor famigerabilis qui-  
dam in Frisia tenet, jure Romano usucapionem esse permisam, juri  
autem divino esse contrariam, quoniam autem jure, civili privato, an  
publico, non exprimit. Quicquid sit, cum pace amborum dixerim,  
sicuti jure publico, quod species est juris civilis, sit introducta usuca-  
pio, juri naturali neutiq;am esse contrariam, neq; à jure divino esse  
absolam. Nullum siquidem est jus civile, sive privatum, sive publi-  
cum, quod à jure naturali ejusq; æquitate plane abhorret ac divertit, ab  
hisce nim juris naturalis ac gentium saniorum principiis perficit suam  
existentiam. Proinde impossibile est, jus civile ullum, privatum aut  
publicum, juri naturali esse contrarium, & tamen jus adhuc esse, & di-  
ci l. jus civile. 6. ff. de J. & J. ibi. itaq; cum aliquid addimus vel detrahimus  
juri communi, hoc est naturali jus proprium civile effcimus. Quod  
si ergo hujusmodi jus civile prætenderetur, hoc non jus dixerim, sed  
injuriam & extremam Ty; annidem: c. eris dist. 4. l. non minus § 1. ff. de  
V. S. L. decernimus. 9. C. de Episcop. & Cleric. l. 3. de ll. l. cum pater 77.  
§ dulcissimis. 2. ff. de Legat. 2. ubi Papinianus ex ratione legem extendit.  
Quod ipsum tamen de usucapione aut præscriptione liquidò probari  
possit, penitus dubito.

31. Non

31. Non obstat *l. n. & 206. ff. de R. J. Resp.* Quando usucapitur res aliena, non hoc fit cum damno aut injuria ejus, cujus res usucapitur, eò enim ipso, quod rem suam habet pro *derelicto*, in alium scias transferre eam intelligitur *l. alienationis 28. ff. de V. S.* Nec quicquam facit, quod regerit Hænnius, hoc fieri per *fictionem juris*, non *verè*, quasi verò illa fictio Juris, si qua unquam talis sit, fiat contra juris naturalis conformitatem, aut consonantiam, in quem casum nullum jus civile dari, ante probavimus, nisi fortè ita concipiatur in *Idea Platonica*, quæ juri civili non est compatibilis.

32. Præterea in facto notorio impingunt, ita ratiocinantes, neminem fore adeò bardum ac locordem, qui rerum suarum adeò negligens, eas ab alio pateretur usucapi, quasi contrarium non detur in facti contingentia, quo LL. scriptæ collimant. Non obstat, § *item si 10. inst. mandat. l. 11. § 10. de interrogat.* Resp. Aliud est receptum in putato usucapionis per *l. ult. C. de prescript. long. temp.* ubi non distinguitur inter *scientem & ignorantem* Dominum, quia est ignorantia facti proprii, quæ neminem excusat *l. 3. C. de prescript. 30. an.* Nec unquam reor in probabili ignorantia fundari illum, qui patitur rem suam usucapi, adeò ut possit *restitui in integrum*, quod asserunt ex *Fachinæo l. cap. 69.* Quicquid sit, dixerim, hoc ipsum in *Publiciana & Rescissoria & similibus* obtinere § *4. 5. Inst. de Action. in aliis vix esse notum & approbatum.*

33. Sed reliquum est; Num deviet usucapio à jure divino? Simpliciter nego. Non obstat *Matth. 7, 12.* Quodcumq; vultis, ut faciant vobis homines, idem & vos facite aliis. Textus loquitur de invita & violenta rerum alienarum amotione, vel de amore christiano ex secunda tabula omnibus christianis præstando, quem usucapio non excludit, neq; excipit, non enim hæc fundatur, nisi in bona fide, & omni violentiæ invasionis defectu, hoc enim ipso res foret *vitiola*, quæ neq; in mobilibus neq; in immobilibus est præscriptibilis, quod vidimus in *th. 11. 12. cū seq.*

34. Nec frivolum iudico Hugonem de Roy, qui allegat ad hanc rem *Cap. 17. Jud.* ubi Jephthæ opponit Regi Ammonitarum vindicanti terras suas, exceptionem 300. annorum possessionis, quo temporis lapsu populus judæicus contra Ammonitas terram illam continuâ possessione præscriperat, quod ipsum non pro *nullo exemplo* ponendum, sed actu in jure naturali penitus fundato, quod juri divino non est, neq; esse debet contrarium.

35. Præmissis obstare videtur Justinianus in *Novell. 9.* ubi appellat usucapionem *impium præsidium*, & qui se eâ tuetur, manere in peccato. Resp. Textus loquitur non de licita, sed illicita usucapione, quæ tendit contra ecclesiam, ejusq; libertatem. Aliter solvit Pacius *d. Novell. 9.* esse *subreptitiam*, quod patet ex *Novell. 111. & 137.* In quibus ea, quæ in dicta *Novell. 9.* disponuntur, corriguntur & emendantur. Testatur & Schimgerus *d. Novell. 9.* neq; in *Basilicis*, neq; in *Græcis exemplaribus* reperiri, sed à Pontifice ut *Paleam* quandam esse supposititiè insertam, quod non obscure evincitur ex *c. ad audientiam 13. cum sq. extr. de Prescript.* ubi Pontifex idem statuit, non nisi 100. annorum curriculum contra Ecclesiam Romanam præscriptionem esse concedendam. Atq; sic tantum de usucapione.

36. Donatio secundus modus acquirendi est, quo res singulæ acquiruntur. *Obst. l. si quis argentum 35. sed si quis C. de Donat.* Resp. Universitas bonorum donari quidem potest, non quidem jure universitatis, sed jure suo appropriatò, quò singulæ res in universitate contentæ acquiruntur: Non enim Donatio est nomen juris, quæle est *Hereditas* & aliæ res incorporales, quibus indigitur propriè jus, quod habemus *in Re*, vel *ad rem*, non corpora, quæ simul particulariter insunt, Donatio autem respicit propriè rem specialem, unam vel plures, quæ in alium hoc modo transferuntur. Apertius adhuc dirimit dubium distinctio inter universalitatem *juris & facti*, § *si grex 18. inst. de legat.* ut si quis universa sua bona extantia ac futura donaret alteri, donatarius non acciperet ea, ut universitatem juris, sed tantum facti, dum grege legato singula corpora de grege legata intelliguntur, quod longè diversum est ab hereditate, obligatione & similibus, quæ universitatem juris innuunt.

37. Ergo Donatio modus est acquirendi? De Donatione mortis causa, & quæ sit propter nuptias, affirmat *Hunniius variar. resolut. lib. 2. tract. 4. Quest. 1.* Verum de donatione simplici inter vivos idipsum negat. Esse enim modum constituendæ obligationis, non acquisitionis, per novam constitutionem Justiniani in *l. si quis argentum C. de Donat. & § Alia 2. inst. eod.* Possè enim hodie donationem fieri, licet res nondum sit tradita, neq; ejus dominium translatum, modo de voluntate dandi aut transferendi satis manifestò constet *d. l. si quis argentum.* Utcunq; hæc ita subtiliter dicuntur, eodem tamen recidit, dominium trans-

transferri, non ex ipsa donatione, sed subsequente traditione, quæ ex  
causa donationis facta est § per traditionem inst. R. D. Non enim tra-  
ditio per se transfert dominium, sed si subit causa, vel titulus ad trans-  
ferendum dominium habilis & aptus: Emptione ergo, legatō, dona-  
tionē etiā simplici inter vivos transferri potest dominium mediante  
traditione, non verò ex locato, conducto, deposito aut pignore. Ratio, il-  
lius enim tituli sunt ad transferendum dominium habiles, hi non.  
Quarene ergo illis transferri dicamus rerum dominium? Sed regerit  
Hunnius, donationem modum esse acqvirendæ obligationis, non Do-  
minii. Ergone donatio est contractus? Absurdum: & ipse negat esse  
contractum; sed pactum legitimum. Videantur Borch. de pact. cap. 1. 2.  
14. Cujac. 10. observ. in fine, & alii, qui in certo respectu donationem  
contractum esse non dubitant. Hunnii ergo opinione salvâ donatio-  
nem inter vivos modum acqvirendi rectè dici, disputandi causâ partes  
meas facio.

38. Sed cujus juris, civilis an naturalis? Illud assero. Nec obsta-  
t. alienatum § Donatio ff. de V. S. & d. l. si quis argentum. Donationem  
fieri traditione, nudo pacto, &c. Qui modi sunt juris gentium, E. Do-  
natio est juris gentium. Resp. Aliud est pactum, traditio & donatio.  
Traditio, imò & pactum sive consensus inservit omnibus tractationi-  
bus gentium & civilibus, non autem ipsos modos transferendi trans-  
mutat. Ergo, ut donatio est juris civilis, solus consensus aut traditio  
non possunt eam efficere juris gentium, stipulatio namq; juris civilis  
est, à quò & formam habet § de constituta inst. de Act. nec tamen, quia  
sine consensu fieri nequit l. 2. § conventioni 1. ff. de Pact. eo ipso efficitur  
juris gentium. Nihil enim ferè à jure civili formam habet, quod à na-  
turæ aut gentium jure suam non desumerit materiam ac cognitionem.

39. Donationem ergo non propriè contractum aut conventionem,  
sed actum appellamus, quæ ex liberalitate quadam rem nostram propriam  
in alium volentem conferimus. Sed anne actus ille legitimus? Ita vult  
Hunnius per l. 6. ff. de Pact. l. Si quis argentum C. de Donat. quod quidem  
ratione hujus legis novæ non improbandum videtur, æquè tamen haut  
absurdum reor, si per actum in genere definiatur, quia nonnunquam  
nudo consensu aut pacto d. l. si quis argentum. Acceptilatione l. mortis  
32. § Juliano placet ff. de mort. caus. donat. Pollicitatione l. hoc jure 14.  
Inst. ff. de Donat. Traditione instrumenti l. 2. C. de Donat. Traditi-  
one



one l. obligationem 3. § 1. ff. de O. & Act. & simil. modis perficitur:

40. Donatio omnis est vel mortis causa vel inter vivos. Mortis causa donat quis, vel citra mortis periculum ex sola mortis cogitatione, vel in mortis periculo constitutus, & hoc bifariam: Vel ut donatarii statim fiat, vel tum demum, cum mors fuerit consecuta. Gothofred. ad l. 2. ff. de donat. mort. caus. Trifariam autem explicat hoc ipse textus Juliani in d. l. 2. Verum est, regulariter mortis causæ donatio non est, nisi in qua fit mortis mentio, aliàs pro simplici habetur donatione, neq; perfecta est & confirmata, nisi postquam mors est consecuta: interea utraq; revocari potest. Hoc tamen modo: Qui mortis causa donat citra omne mortis periculum, solà mortalitatis cogitatione, ante mortem non potest donationem revocare, licet aliquando graviter decumbat, & reconvalescat, nisi fiat revocatio ex aliis causis. Qui verò propter metum præsentis, vel jam extantis periculi donat, potest revocare rem donatam periculo remoto, vel cessò. Hoc enim casu intelligendus est textus, donantem velle magis se habere, quam eum, cui donat; magisq; eum, cui donat, quam heredem, ideo potest revocari, si supervixerit, vel donationis eum perventusset. § 1. b. tit. Revocatur autem donatio præter penitentiam donantis; & cessationem periculi vel mortis etiam 1. ex morte donatarii vivo donatore contingente, quæ donatio non transit ad heredes donatarii. l. vir. uxori § 2. Sult. ff. de donat. inter vir. & uxor. 2. Si donator capitis fuerit damnatus. 3. Si gravissimæ inimicitia inter donatorem & donatarium supervenisseat. fac. l. fidei commissa 11. § 1. rem. ff. de legat. 3. Qvæ. Num donatio mortis causa sit, si expresse inter donatorem & donatarium agatur, ne unquam donatio revocetur? Affirm. Asserimus namqve, revocationem mortis causa donationis non esse ejus substantiale, sed duntaxat naturale, quod pacto mutari ac tolli citra contractus ipsius corruptionem omnino potest. Pac. in Epitom. Disputat. 12. thes. 7. Mozz. in tract. de contract. art. 6. n. 1.

41. Donatio hæc nullam requirit insinuationem, sed quinque testimoniæ præsentiam, comparatur namq; ultimæ voluntati, l. ult. C. de Donat. mortis caus. l. ult. c. de codicill. quod & ipsum docet observantia, cui reclamant Anton. Faber. part. 2. de error. pragmat. Decad. 44. Err. 1. ubi dislerit duos sufficere testes, quam licem Fabri meam non facio. Arguit quidem Barth. ad l. donatio 25. C. de donat. donationem mortis causa

causa indigere insinuatione, si summa 500. aureos excedat, sed verius est contrarium per *l. ult. C. eod.* quæ est *d. l. 28. C. eod.* abrogatoria putarim tamen, si quinque testes omisi sint, insinuationem donationem mortis causa non respicere. *d. l. donatio.*

42. *Sed licitane est donatio mortis causa inter conjuges? Aff. l. si eum.*  
*9. Sult. l. sed interim. u. § 1. l. uxori sua 22. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Etiam de jure Saxonico. Nec obstat text in Weichb, artic. 69. loquitur enim de donatione simplici, non quæ fit mortis causa. In donationibus hujusmodi solent fœminæ adhibitò curatore litis specialiter ad hunc actum petitò & confirmatò actù celebrare, quò fiat tutior & firmior. Verum hoc circa hanc materiam intricatur: Num donationes mortis causa per omnia adæquata sint legatis? Ita innuere videtur Justinian. in § 1. *instit. de donat.* Addit tamen limitationem *fere per omnia*, quæ notat exæquationem factam quoad effectum, non singula utriusq; naturalia, aut substantialia. *l. fin. C. de donat.* sive donatio mortis causa ex testamento, vel ab intestato deferatur, quicquid adversetur Cujac. per *l. si filius 20. ff. de legat. præstand.* quæ lex pandectarum rectè corrigitur à nova Justiniani constitutione in *l. ult. C. de mort. caus. donat. v. c.* Differunt: Legatum præstatur ab herede, res verò mortis causa data, vel ab herede, vel quandoq; ipso donatore, vel alio: Legatum absenti relinquì potest, donatio autem fit inter præfentes, quod disputat tamen Hotoman. *lib. 8. observ. 28.* Filius familias testari non potest, donare tamen mortis causa potest permittente patre. *l. 18. § 1. ff. de donat.* & quæ aliæ sunt differentiæ plures, quas cumulant Dd. Sic & conveniunt. v. c. L. Falcidia locum habet in hac donatione æque ac in legatis: Mortuò donatore citra traditionem ipso jure potest donatarius perinde ac legatarius donatum ac legatum propria autoritate occupare, sed recipere ab herede, aliàs heres potest contra eum agere ex interdicto *quod legatorum.*

43. Donatio mortis causa perfecta est, quando mors est infecuta. *Obst. l. 13. § fin. l. senat. 35. § mortis ff. de mort. caus. don. &c.* Textus hi sunt valde speciales, & cù primis concepti sunt ex pacto, quo natura donationis potest constringi, & nihilominus substantia ejus manere integra & salva, quod vidimus in *thesi ant.* neq; necessitas est, ut statuamus, in hoc casu donationem mortis causa fieri simplicem, quod communiter fere Dd. opinantur. Nec *obst. l. c. qui 21. ff. de mort. caus. don.* Resp. In hac lege specialiter nihil dicitur, quod & ipse textus explicat, notat tamen casum exceptum, qui  
R  
presius

presius refertur cum aliis pluribus exemplis à Cajo in *l. donationes 31. ff. de mortis caus. donat.* Hoc quidem certum est, donationem mortis causa non propriam, sed magis *relatam & indirectam* esse, non tamen concedendum, eam planè esse nullam. Non enim invitus donat, qui donat ob mortis periculum, non enim jure cogitur. Ac quamvis hora mortis sit incerta; quod tradit *l. 1. § 2. ff. de condit. & demonstr.* certum tamen est, donatorem moriturum, ac proinde sub tali conditione donatio benè data intelligitur, quæ vigorem & effectum suum non for- titur, quam; postquam mors insecure est.

44. Hujusmodi *relata & indirecta* donatio etiam est, quæ dicitur *propter nuptias & remuneratoria*. Illa juris civilis est modus acqvirendi indubitatus, antiquos enim Jctos latuit, & novum Imp. est inventum. Donatio hæc est, quam sponsus sponsæ in retributionem allatæ dotis contulit, quæ donatio Imp. non aliter nisi *ante nuptias* fieri consueverat: Justiniani vero, patris adoptivi Justiniani, tempore constitutum est *l. 19. C. de donat. ante nupt.* ut hæc donationes non tantum valerent ante nuptias, sed etiam *post eas*; quia & post eas dos etiam augeri possit. Deinde voluit Justinianus hanc donationem non tantum ante, sed etiam post nuptias augeri; imò & initium capere, adeoq; quia & dos constante matrimonio potest augeri, vocari debere hanc donationem, *propter nuptias & omnimodam æqualitatem cum dote habere*, quod confirmat à *Novell. 97. c. 1. §. Aut bent. AEQUALITAS C. de pact. convès.* Nostris vero moribus, & generali omnium locorum consuetudine hæc æqualitas non observatur; Gail, 2. *obs. 78. num. 2.* ubi affert cautelam; ut hujusmodi inæqualitas donationis propter nuptias, & dotis quoad pacta de lucranda dote & donatione propter nuptias in casu non existentium liberorum fiant ante contractum matrimonium, alias si post illud contractum fierent, saperent donationem; quæ inter conjuges prohibita est. Hoc tamen habet maritus peculiare, quod, dum ille in vivis est, percepit fructus dotis, & donationis propter nuptias. Non autem uxor; nisi maritò mortuò, tunc dos ad eam revertitur, nisi liberi extent, vel adulterium uxor commiserit, aut delictum, quò divor- tio causam dederit, quo casu dos manet apud maritum. *VVeßemb. ad dit. solut. matrim.*

45. Comparatur donatio hæc *dotalitio*, uti vocant; quod post mortem mariti tueretur vidua, vel qua proprietatem, vel usumfructum. Germanicè *Leibjucht/ Leibgedinge*. In Pomerania nostra constitutum est.

est inter nobiles matronas & viduas, ut dotalitia, Leibgedinge / fiant cum consensu Principum, quæ, dum Deigratia in vivis extiterunt, confirmata ab eis fuerunt. Requiritur autem, ut viduæ vel virgines innuptæ Inventarium per curatores suos conficiant, & sic percipiunt Graden Jahr: Jus retentionis, Burg- und SchloßFriede / Traurkleid / Wagen und Pferde: EheGeld / dritten Pfennings Verbesserung / nöthige Wohnung oder zimliche Hewre / &c. In Adelsichen Privilegiis de dato Stettin 9. Febr. A. 1560. & in constitutione Wollinenli de 24. Maji. A. 1569.

46. Remuneratoria est, quam alter in alterum ob benemeritum confert. Hæc inter patrem & filium, inter conjuges acta valet, non requirit insinuationem, etiam si excedat numerum 500. solidorum, neque ulla ratione ab invito revocatur. *l. si pater 34. § 1 ff. de donat.* Discent. Arumæus Exercit. Justin. 6. Thes. 13.

47. Sequitur donatio, quæ propriè talis, & dicitur inter vivos, & simplex, ex mera liberalitate & munificentia donatoris facta. Rectè namque omne donationis genus bipartitum est, vel fit inter vivos, vel mortis causa. Non obstat. *l. 18. C. de donat. mort. caus.* Resp. Varia intentio donandi non facit varias donationis species, conditio namque est qualitas, quæ rei substantiam non potest immutare, adeoque sive purè, sive sub conditione, vel aliter concipiatur, ad alterutram, sive inter vivos, vel mortis causa donationem referri potest, imò conditionalis, quæ ad simplicem sit referenda, non dubito per *l. 2. § si pecuniam §. ubi Dd. ff. de donat.* Hæc donationes simplices ab omnibus fieri possunt, nisi naturâ vel lege prohibeantur. Perficiuntur etiam jure novo ex solo consensu, licet traditio non sit statim conjuncta, habet tamen donator traditionis necessitatem. *l. Si quis argentum C. huj. tit.* Quæritur. Num capitalis criminis reus condemnatione secutâ donationem inter vivos rectè perficiat? Neg. per *l. 15. ff. hoc tit.* ubi Dd. & imprimis revocatur hujusmodi donatio per filium, si donator perductionis crimen commisit. *l. 31. § fin. ff. hujus tit. l. fin. C. ad L. Jul. Majestat.* Aliud tamen receptum est in mortis causa donationibus. Confer Bocet. in tract. de donat. C. 3. n. ult. Quæritur. Num donatio hæc fieri possit inter absentes? Non abnuo per *l. absenti 10. ff. huj. tit. & l. 6. C. eod.* Ita tamen, ut tunc firma habeatur, cum absens voluntatem donantis habet ratam. *d. l. 10.* Quo pacto interpretanda est *l. hoc jure. 19. § si quis 3. ff. hoc tit.* Alter namque absenti stipulari non licet, neque in eum transfertur

dominium, antequam ab illo rata habita est donatio. *d. l. 6. C. hoc tit.*

48. Hanc donationem simplicem, ait textus, non per omnia comparari legatis: *Obst. l. 32. Sp̄nitentiam. ff. de Donat. inter virum & uxorem.* Resp. Pœnitentia videtur admitti intuitu testamenti factionis, quæ non debet impediri, ut, si quis simpliciter donasset, posset hoc ita volenti non præjudicare liberrimæ ejus testandi voluntati. Hoc tamen opus est, si summam excedit 500. solidorum, actis publicis insinuetur. Non *obst. l. Sancimus 3. in pr. C. de donat.* Resp. Lex hæc mutata est per *l. si quis. 36. C. eod.* ampliavit enim numerum in hac lege trecentarum solidorum ad quingentos, tum & speciale illò tempore fuit in donatione ad pias causas, ut sustineretur ob favorem piarum causarum, etiam si esset quingentorum solidorum, quod jam factum est commune omnibus donationibus, etiam in causis piis, ut ratæ sint in isto numero, si vero excedant illum, insinuentur. *l. illud 19. C. de SS. Eccles. l. 34. § 1. l. 35. § fin. cum l. 27. C. de donat.* Æquius tamen est insinuatione hac neglectâ donationem in totum non fieri irritam, sed duntaxat in illo, quod legitimum numerum, aut summam excedit, tritum namq; & verum juris scripti est axioma: Utile per inutile non vitiatur, præsertim in dividuis *C. utile. 37. de R. J. in 6.* repetitur autem illud superfluum conditione sine causa, aut ex injusta causa. *l. 21. in fin. ff. de donat.* Quid si vero jurata sit donatio, & omisa insinuatio, utrum subsistat jurisjurandi religione adjuta? Resp. De jure Canonico quoniam sit asserendum, & in nostris foris sequendum, non ambigo.

49. Regulare est, donationes simplices constante matrimonio inter conjuges esse prohibitos, nisi sint reciproca, h. e. in eum casum directæ, ut prædefuncti conjugis sine liberis decedentis bona ad superstitem devolvantur, quam juris observantiam non solum probant omnes in Germania curiæ, sed & summum Imperatoris tribunal, Camera imperialis, attestantibus cameræ Assessoribus & Observatoribus, Gailio 2. *Obst. 40. n. 7. obs. 126. n. 2. & 3. Mynsing. Cent. 2. obs. 33.* qui ipsi tradunt, hujusmodi donationem juramento corroborari, licet non fuerit reciproca, de quo assero tamen dubito per *l. 2. & 3. ff. de donat. inter vir. & uxor.* per quarum rationes multa ad hanc rem resulant incongrua, & legibus prohibita, quæ Dd. passim cumulant. Accedit, quod donatio reciproca insinuet quandâ naturam alicujus relictæ, neq; opus habeat insinuatione, licet summâ legalẽ excedat, quod tamen omne à natura donationis simplicis alienû est. Neq; in aliis casibus donatio insinuationem

ationem poscit, qui habentur in *l. Si quis. 36. § 1. & l. sancimus 34. in princ. juris. Auth. itemq. C. de donat. Novell. 52. C. 2.*

50. Controvertunt anxie Dd. Num donatio omnium bonorum valeat? Negativam tenet communis fere Dd. chorus. Inter quos primas gerunt post Bald. in *C. in presentium. n. 36. C. de probat. Jul. Char. lib. 4. sentent. § donat. quest. 19. Fachin. lib. 6. Controvers. Jur. C. 87. Mozz. in tractatu de donat. c. de rebus, quæ donantur. n. 2. Bronch. Centur. 2. asserit. 54. ad quos non discedimus, utut speciosis utantur fundamentis, quæ tamen tanti non facio, ut præferri queant legibus contrarium tuentibus. Inter quas pono *l. 4. C. de Contrab. emp. l. 35. c. eod. l. 8. C. de revocand. donat. l. cum quis 37. § 3. ff. de Legat. 3. l. omnes 17. in fin. ff. quæ in fraudem credit l. 9. C. de pact. l. si quis argentum § Sed et si C. b. tit. l. Si totus 5. C. de inoffic. testam. Nec dubito, quin idem asseram de bonis futuris per *l. 2. ff. de contrab. empt. l. fin. C. Quæ res pign. oblig. poss. Quæ contra has autem dissentientibus opponi solent, pro instituto hæc non cumulo, remittimus ea omnia ad discussum, ubi dabitur eorum enodatio. Consultus hac de re Cravett. respondit, donationem hæc valere, si fiat coram 5. testibus in vim donationis mortis causa, *Const. 139. n. 10.****

51. Indubitatum est, donationem simplicem inter patrem & filium non valere, quia, quod filius sibi acquirat, ex peculio profectio patri acquirat, vana autem est donatio, quam quis in seipsum confert. *l. 56. § 2. ff. de fidejuss. nisi morte patris, vel tacitâ patris ratihabitione post emancipationem, vel aliorum heredû ratihabitione confirmetur l. cum in bonis 11. Cod. de don. l. donationes 25. C. de don. inter vir. & uxor. l. 4. ff. per don. l. 4. § 1. pro Soc. Sed ane ad hæc donationem satis est, si pater juramento suo eam confirmat? Si juris spectes veritatē, non dubito, quin negativa præponderet, attestante hoc Bocero, fatetur tamen, contrariam sententiam esse communiores, & in Camera Imperiali approbatam, atq; secundum hæc doctrinam itatuminare non diffido, donationem hujusmodi patris in filiam factam esse immunem ab onere collationis, per ea, quæ tradit Sichard. in *authent. ex testamento n. 7. C. de collat. ne tamen donatio hæc, in unum filiorum facta, absorbeat omne reliquorum fratrum aut sororum legitimæ quantitatē, quo casu inutilem reor donationem, non quidem in totum, sed quoad legitima reliquorum est exhausta. l. Si mater 7. C. de inoffic. testam. l. 5. C. eodem.**

52. Constitutâ donatione competit donatario varia actio ad persequen-

sequendam rem sibi donatam, ut si ex pollicitatione facta sit, petit eam conditione ex lege. *l. Si quis donaverit 15 C. de SS. Eccles. l. quoties lex in pr. C. de O. & A.* Idem est, si nudo consensu fuerit perfecta. *l. Si quis argentum 35. § Sed si quidem C. de Donat.* Si in stipulationem fuerit deducta, ex stipulatu actio intentari potest. *Novell. 162. c. 1. § & Sancimus.* Sicuti vero donator ex harum una actione conveniatur, utitur jure competentia, & ultra quam facere potest, non tenetur, *l. 31. ff. de donat. § Sed etsi 38. Inst. de action. neq; tenetur donatario ob moram ad usuris & interesse, neq; de evictione, neq; ad sumptus à donatario in rem donatam factos, nisi donator hæc omnia se præstiturum certâ & expressa stipulatione caveret, quò ipsò de evictione & impensarum refusione rectè teneretur. Donell. ad l. 2 n. 8. C. de Eviction.*

53. Restat, ut de revocatione donationis videamus. Hæc temerè fieri non debet § 2 *Inst. de Donat.* quando legitimè facta est, sunt tamen iustæ causæ, ob quas actio talis licita est, quarum 5. ingratitude enumerantur in *l. fin. C. de revocand. donat.* 1. Si injurias atroces in eum effundat. 2. Manus impias inferat. 3. Jacturæ molem ex insidiis suis suggerat. 4. Vitæ periculum inferat. 5. Si conventiones implere non voluerit. Ex hisce enim tantummodo causis, ut loquitur textus, siquido probatis donationes everti concedimus. Acriter ergo confligunt Dd. num ex hisce solis 5. evertendæ sint donationes simplices inter vivos, vel adjungendæ adhuc aliæ plures? & si hoc, num aggreganda sit *l. 8. Cod. eod.* quæ præcisè & ad literam loquitur de *supervenientia liberorum* donatoris & donatarii inter *patronum & libertum*, num ergo in genere extendi possit ad alias personas, ut, si ubi donator, quisq; esset, post donationem factam suscepisset liberos, possit ob hanc supervenientiam liberorum revocare donationem, utcumq; donatario non existente ingrato, per *d. l. fin.* Quicquid sit, videbimus, an mediâ viâ ingredientibus defendere queamus affirmativam, ita tamen, ut hæc sola *d. l. 8.* adnumeranda sit *d. l. fin.* reliquæ verò plures, ac rationes aliæ, minimè, per *l. 102. ff. de condit. & demonstrat. l. 30. c. de fideicommiss. l. generaliter. § fin. C. de instit. & substit.* Jucundam hisce annectimus quæstionem, num revocatâ ac annullatâ per supervenientiam liberorum donatione ea reconvalescat, si liberi enati postea emoriuntur? Et non reconvalescere æquius & verius putamus.

4. Experitur ex causa ingratitude donator contra donatarium actione personali, non reali, perperam dissentiente Donell. *lib. 14. Commento*

*mentar. c. 3.* Proinde nec competit donatoris heredi contra donarium, neq; donatori contra donarii heredem, nisi à donatore donatario lite mota. Cessat tamen actio contra donarium ingratum, si & hic ante motam litem rem donatam in alium ex justo titulo transtulerit, *l. hic filio 7. C. de revocand. donat.* Quæ agendi ratio alia est, ac quæ ex inofficiosa suscipitur donatione, quæ fit vel actione *familie herciscandæ*, vel *restitutione in integrum*, vel *querela inofficiose donationis*; si alii ex superioribus locus non sit. *l. 6. & tot. tit. de inoffic. Donat.*

55. Sequitur *Tit. 8.* Maritus licet legum subtilitate ac fictione Juris dominus sit, prohibetur tamen, fundum dotalem alienare, dissentiente uxore, ex *L. Julia*. Si prædium esset fundi Italici, consentiente verò uxore erat ei permisum, nec concedebatur consentiente uxore prædium dotale hypothecare, facilius enim mulieres prædium dotale oppignorant, quam alienant *l. 4. in fin. ff. ad SC. Vellej.* est enim mulierum genus avarissimum *l. si à Sponso 16. utiglosf. in verb. raro accidit. l. de Donat. inter vir. & uxor.* Hoc ita obtinebat in fundo Italico, verùm in provinciis poterat maritus sive obligare sive alienare dotalia prædia, sive consentiente sive dissentiente uxore, quia lex Julia de hisce non disposuerat. Hanc *L. Juliam* correxit Justinianus in *l. un. § & cum L. Julia C. de rei uxor. actioni* ne fundus dotalis; ubicunq; situs sit, possit alienari aut obligari à marito, etiam consentiente uxore. *Summatim*, prædium dotale sive dissentiente sive consentiente uxore, etiam si jurejurando alienationem confirmasset, *l. jubemus 10. vers. quod etiam C. de SS. Eccles.* sive sit *æstimatum* sive non *æstimatum*, alienari nequit, neq; rem aliam mobilem dotalem inæstimatam, si servandò servari possit, *l. lex quæ 22. C. de administrat. tutor. vel curat.* Si autem servandò servari non possit, alienatio licita est. Distingvunt Dd. inter alienationem voluntariam & necessariam in *l. 1. ff. de Fund. Dotal.* Faber excipit, nisi ob famis necessitatem alienatio prædii à marito fieret, in hunc finem, ut uxorem cum liberis aleret, cum alia bona non haberet, quo casu alienationem esse licitam.


56. In *§ 1.* rectius continuasset Imperator personas, quæ alienare non possunt, licet rerum sint domini, sed inserit hic exemplum ejus, qui, cum dominus non est, alienandi tamen habet potestatem. v. c. creditor licet dominus pignoris non sit, pignoris tamen alienandi potestatem habet, si de distrahendò illo inter partes convenerit, ut *hic & in l. fin. § 1. C. de jure Domin. impetrand.* Si nihil convenerit, debet creditor debitor




tori testato denunciare distractionem, nisi solverit, quâ denunciatione factâ, expectare debet biennium, & licita tunc est distractio. Si vero expressè de non distrabendo actum sit, trinâ denunciatione, quarum quælibet 10. dierum habeat interstitium, opus est, cum lapsu biennii, quod constituit Justinianus in *d. l. fm. C. de jure dom. impet.* Sed hoc ita de jure civili, quæquam non imperite quidam Dd. statuunt, *d. l. un. nihil immutare, neq; loqui de pignoris distractione, sed de eis, qui jus domini in pignore impetrare volunt.* Donell. in *Tract. de pign. Cap. 12. de distract. pignor.* Verum circa hanc materiâ distractionis pignoris varia cujusq; loci statuta & consuetudines considerandæ & observandæ sunt,


57. Imò pupillus sine tutoris autoritate rem suam non potest alienare, sive solvat ipse, sive sibi solvatur, illo modo rem suam alienat & summovet obligationem. Non ergò rectè solvitur ei, sed solutio debet fieri tutori. Non obstat. *l. stipulatus 11. ff. de Solut.* Resp. In hoc casu legis ita conventum fuit, ut solutio fieret pupillo, alioquin in casu regulari soli pupillo præstare non debet. Nec obstat. *l. Sancimus 28. § fin. C. de administr. tutor. vel curat.* Resp. Casus hic est exceptus in *l. Sancimus*, quod solvens pecuniam fœneratitiam, seu usuras, aut annuos redditus, non opus habeat decreto, sed posse hunc sine decreto securè solvere. Addit Imperator in *Instit. dicto §.* quod in *d. l. Sancimus* non sancitum est, quamvis solvens pupillo, neglectâ tutoris autoritate & decreto judicis, stricto jure non liberetur, & possit pupillus eam pecuniam demùm petere, attamen, si pecunia ea adhuc non sit consumpta, & pupillus inde locupletior sit factus, & certè non pauperior, non possit eandem pecuniam denuò petere, sed per exceptionem doli mali à debitore repelli posse ex æquitatis ratione, quod nemo locupletari debeat cum alterius jactura aut damno. Si verò pupillus malè consumpserit pecuniam, aut ea sit casu amissa, non potest juvare debitorem doli exceptio, sed condemnandus est, ut denuò & legitime solvat cum auctoritate tutoris & decreto judicis. *d. l. Sancimus.* Sane minor curatorem habens sine eorum rem suam inutiliter alienat, qui non habet curatorem, restituitur in integrum, si ex alienatione læsus sit. *l. ait prætor. 7. ff. de minor. l. 3. C. de restit. in integr.* Constitueramus adjungere ex *Tit. 9. personas acqvirentes*, sed rumpit filum pagellarum angustia, ne autem materia desit, remittimus eum ad *Tit. 29 lib. 3.* qui huic est parallelus.


DISPU.











the scale towards document

VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI.  
Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita  
di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferi-  
a minor, aut media, venatio data est, a nostro ve-  
modo se abstinere debet in locis, vbi ferae maio-  
bentur. Is autem, qui duntaxat superiori, siue ma-  
audet venatione, tali, vice versa, vti nequit in lo-  
i ferae minores, aut mediae, subsistunt. Ratio as-  
uius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmo-  
ationem disturbantur, et in aliena loca extra ban-  
erinum transfugiunt (b). Non debet autem alteri  
per

orum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-  
lem id quoque non facile permittitur, vt, praedio, cui  
venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in lo-  
vnius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea  
es substituuntur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maj.  
4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio ex-  
antur, sunt Confessoria et Negatoria vtilis.

Audiamus ante, quam vltius progredimur, ipsosmet ve-  
res, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc  
me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus  
s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener  
l. Schwarzburgischer Ober-Förster hiermit auf Begehren,  
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn  
E  
nehm.